



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 35. De Prouidentia Dei in Mundi reparatione per Christi D. N.
Incarnationem; & admiranda eius gubernatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

MEDITATIO XXXV.

DE PROVIDENTIA DEI
circa mundi reparationem per In-
carnationem CHRISTI Domi-
ni Nostri, & de eius admi-
randa governa-
tione.

PUNCTVM I.



PRIMUM est consideran-
da excellentissima prouiden-
tia Dei D. N. circa sa-
lutem hominum, qui ob A-
dami peccatum perierant;
conferenda verò est hæc
cum ea, quam habuit erga

ipsummet Adamum, eiusque posteros, in sta-
tu Innocentiæ.

NAM primùm creauit Deus Adamum in
gratia & originali iustitia, tanquam caput to-
tius generis humani cum tali pacto, vt si i-
pse in eius seruitio & obedientia perseue-
raret, omnes eius posteri cum eadem gratia
nascerentur; in qua facilè possent tota sua vi-
ta perseuerare. Abstulit enim illis DEVS
tria maxima impedimenta perseuerandi, quæ
nunc sustinemus, rebellionem scilicet carnis

I.
S. Thom. 1.
p. q. 95. a. 1.
q. 2. c. 2.
100. a. 1.

S. Thom. 2.
2. q. 165.

contra spiritum, & passionum contra rationem; Deinde mortalis corporis miserias, quæ pauperem animam grauant; Persecutiones denique & contradictiones malorum, qui bonos inficiunt ac perturbant. Si enim tunc aliquis fuisset malus, mox illum Deus à cæteris separasset. Et quamuis tentatorem vnum illis permiserit, scilicet Dæmonem, facile potuissent illum superare, quia non potuisset tunc illos tentare, sicut nunc; humores scilicet commouendo; passiones inordinatas excitando, aut imaginationes; sed exterius tantum proponendo quod volebat, vt eos deciperet; cuius fraudes facile fuisset cognoscere, si vti voluissent scientia, & gratia, sibi à Deo infusis. Ex quo facile intelligitur, quantoperè Deus desideraret, Adamum & eius successores perseverare in ipsius gratia; & gloriæ coronam obtinere. Et propterea debeo illi magnas gratias: quamuis enim non gaudeam illa eius prouidentia; voluntas tamen eius ea erat, vt omnes Adami filii & posterii ea fruerentur.

II.

Mox perpendam, quòd Deus Dominus noster, etiam si videret ob Adami peccatum, dissolutas esse dispositiones prouidentia suæ, circa hominum salutem in illo statu Innocentia, non tamen idcirco illos, vt communiti erant, deseruit; sed statuit aliam prouidentia rationem adhibere, vt lapsis reme-

dium

dium adferret, & multò quidem excellen-
tior priori prouidentia. tanta est enim eius
bonitas, vt non fuerit permiffurus, Adamum
peccare cum iactura totius generis humani,
nifi potuiffet, & voluiffet, ex eo peccato ma-
iora bona elicere, fic manifestando infinitam
fuam charitatem & amorem erga inimicos,
quod eoufque non fecerat. nam bona, quæ
in mundi exordio Angelis & hominibus præ-
parauerat, tametsi ea illi promeriti non fue-
rant, tamen nec malè meruerant; vt qui nec
in rerum natura effent, ac proinde nec ami-
ci nec inimici: fed Adamo peccante, etfi
eum originali iustitia spoliavit, reliquit illi
tamen visibilis huius mundi dominum; &
Sol, qui priùs bonis tantùm oriebatur, cæ-
pit etiam oriri malis; & pluuia, quæ su-
per iustos tantùm descendebat, cæpit et-
iam descendere super peccatores; & inde
incepit esse DEVS benignus in ingratos, & ijs
benefacere, qui malè ipsi seruiiffent; & ig-
noscere inimicis, vt conuersi fierent iterum
amici.

III.

In eum itaque finem ex multis medijs, quæ
accipere potuiffet, (sicut in principio se-
cundæ partis est dictum) ex infinita sua cha-
ritate gloriosissimum elegit, quod eius di-
uina sapientia potuit excogitare, & om-
nipotentia exsequi, & bonitas velle; i-
ta rem disponens, vt ex ipsis Ada-
mi, & Eux posteris alius homo nasce-

retur, qui simul esset DEVS; propter cuius merita peccatum Adami remitteretur, damnaque repararentur, quæ ex eo prouenerant. Non itaque solum habere voluit quantumque prouidentiam hominum, qui perierant; sed ipsemet DEVS suæ prouidentia exsecutor esse voluit, & ineffabili quodam modo homo fieri propter illos. Et qui eorum erat gubernator & caput inuisibile, fieri voluit etiam gubernator & caput visibile, coniungens humanam naturam diuinæ suæ personæ; honorem hac ratione infinitè ampliore hominibus adferens quam habuissent antè culpam: quam infinitis misericordiae suæ modis reparauit. *O felix culpa, quæ talem actantum meruit habere demptorem!* O felix fractura, quæ adèd admirabili prouidentia est reparata! O Pater coelestis, quò amplius potuit prouidentia tua peruenire, quàm vt filium tuum dares pro seruo redimendo! O fili Dei benedicte, quid amplius excogitare potuit Sapientia tua, quàm vt te indueres carne mortali, quò gratia tua carnem viuificares, quæ ob culpam erat mortua? O Spiritus sanctissime, quod maius iudicium infinitæ tuæ charitatis dare poteras, quàm infinita dona tua ei conferendo, qui infinitè esset illis indignus. O Trinitas beatissima, siquidem voluisti nos ita reparare, vt conformes fieremus imaginis IESV CHRISTI veri DEI & Hominis, ostende mecum beneuolam tuam

Ecclesia ex
S. Greg.

pro.

providentiam, reparando meæ naturæ imaginem culpâ deformatam, viua gratiæ tuæ similitudine, Amen.

PUNCTVM II.

EX hoc pergam considerare in particulari, quòd sicut secundus Adam Christus infinitè excellit primum, sic bona quæ per secundum nobis proueniunt, excedunt incomparabiliter ea, quæ per primum aduenissent, si ille non peccasset.

NAM primum, etsi filij Adami nati fuissent in gratia, ij tamen qui à Christo generantur per Baptismum, maiorem nunc recipiunt gratiam, nam illam Deus dedisset infantibus ex sua liberalitate; sed hanc dat etiam eisde, propter infinita merita eius, qui passione & morte sua eam illis comparauit.

I.

DEINDE, quamuis filij Adami, in illo statu non habuissent pugnam passionum, nunc verò filij Christi illam sustineant; hoc tamen ita disposuit diuina prouidètia, vt eo victoria esset illustrior, quòd pugna esset acrior; & illorū opera eo essent magis meritoria, quòd maiores vincerent difficultates, succurrente ipso nostro Redemptore copiosa sua gratia filijs debilioribus.

II.

TERTIÒ licèt filij Adami mortem non obiissent, nec alias corporis miseras fuissent experti, quas filij Christi Domini experiuntur, & sustinent; ipse tamen Christus ita illas

III.

honorauit, cum in se illas suscepit, vt felicitatis potius sit eas & nos subire; eò quòd omnes ipse conuertat in materiam & exercitationem heroicarum virtutum, quarum excellentes actus in eo statu non fuissent, quia defuissent occasiones paupertatis, patientiæ, martyrij, & dilectionis inimicorum, resignationisq̄ue in re adeo chara, qualis est salus & vita.

IV.

DENIQUE misericordiæ eius magnitudo infinitè vincit miserix magnitudinem, quam attulit culpa Adami. nam vt Apostolus ait, *a non tantam vim habuit delictum sicut habet donum*; nec tantum nobis detrimentum potuit Adamus adferre, vt non poruerit Christus maius bonum nobis communicare, condonando scilicet nobis peccatum, quod hæreditate ab eo accepimus, & quæ postea nostra voluntate contraximus; totq̄ue fauoribus nos prosequendo, postquam fuissetus tot bonorum prodigi; vt, qui in illo statu fuissent, possent nobis in multis rebus inuidere excellentias, sacramenta, & sacrificia, quæ in hoc statu habemus propter merita nostri Redemptoris.

O Redemptor dulcissime, gratias tibi quantas possum, pro paterna prouidentia tua erga nos, qua felicitatem status Innocentiæ, nobis suppleas abundantia Diuinæ tuæ gratiæ, quam nobis comunicas, melius Domine tecum viuere in statu pugnx, quam sine te in statu pacis. pax enim sine te vno die perijt;

perijt; sed pugna cui tu assistis tua gratia, obtinebit pacem sempiternam.

PUNCTVM III.

TERTIO consideranda est suprema prouidentia, quæ relucet in gubernatione CHRISTI Domini Nostri cum eius proprietatibus & admirandis effectibus, quos ad quatuor ab Apostolo indicatos reducemus, cum de Christo D. N. diceret: a *1. Cor. 1.30*
qui factus est nobis Sapientia, Iustitia, Sanctificatio & Redemptio.

PRIMUM, Christus Dominus Noster est nobis SAPIENTIA, quia est gubernator sapientissimus, b *in quo sunt omnes thesauri sapientia & scientia Dei*; qua sine vilo errore, efficacissimè tamen & suauissimè gubernat & cognoscit omnium propensiones, & cuique offert gratiam & auxilium potens ad vincendas malas, & perfecte sequendas bonas. quæ eius gubernatio eò tendit, vt nos faciat sapientes, non c *sapientia mundana & terrena*, sed c *Rom. 8.7.*
 c *celesti ac diuina*, d *quam dat omnibus seruis d Iacob. 1.5.*
 suis affluenter. quamobrem dixit Isaias, quod tempore eius gubernationis, e *terra c Isaias 11.9.*
 esset repleta scientia Domini, & f *uniuersi f c. 54.13.*
 filij docti à Domino, g & rursus: omnes e- g *Ioan 6.45*
 runt docibiles Dei: qui Dominus simul erit gubernator & magister, qui nos doceat veritates ad nostram salutem necessarias; & ita gubernabit, vt illam consequamur. O gubernator sapientissime, qui cum esses sapientia

Ange-

Angelorum in Coelis, factus etiam es sapientia hominum in terris; proponens illis tuam vitam & doctrinam, tua exempla & verba tua, dirige quæso me sapientia ista tua, ne defrauder à sine, quem tua intendit prouidentia.

II.

h *Isaia* 33.
16. & 23.6.

i *Isaia* 53. 11.

k *Psal.* 71. 7.

l *Isaia* 48.
18.

DEINDE Christus Dominus noster, est nobis IUSTITIA, quia est gubernator iustissimus, qui per excellentiam vocatur h IUSTVS, in quem nunquam potuit cadere iniustitia, semperque opera sua rectificauit cum voluntate æterni sui Patris: ac propterea eius gubernatio, semper est in iustitia & æquitate, absque vilius iniuria & acceptione personarum; neque vnquam propter respectus humanos ab eo quod iustum esset recedit; sed cuique dat potius id, quod promeretur; præmium bonis, pœnam malis, tanquã iudex vniuersalis omnium, tamen si desiderium eius potius sit ita gubernandi, vt præmium dare possit coronam iustitiæ, quã n castigandi zelo vindictæ. quare eius gubernatio eò dirigitur, vt ipse *iustus iustificet multos* vera & solida iustitia, faciens eos coram Deo iustos, & mundos ab omni culpa, eaque pace eos implens, quæ comitatur iustitiam. quare dixit David, quòd tempore gubernationis & *in diebus eius orietur iustitia, & abundantia pacis*, & qui permittent se gubernari, & *Attendent mandatis eius*, (vt ait *Isaia*) *siet illis sicut fenum pax eorum, & iustitia eorum sicut gurgites maris*. O gubernator iustissime, tu es IUSTITIA mea, quia tua gratia me iustificas, quam mihi ex iustitia promere

ris;

ris; & adiuuas, vt ex iustitia promerear
nam gloriæ. Opera tua sunt mihi iustitia, quia
merentur veniam mearum culparum; sunt sa-
tisfactio pœnarum, quas debeo propter illa:
sunt titulus & nomen, vt orationes meæ exau-
diantur; ac denique sunt meum ius ad regnum
coelorum. propter eadem ipsa opera tua sup-
plico, vt me adiuues ad ea imitanda, vt sim ego
in meis operibus iustus, sicut tu fuisti in
tuis.

III.

TERTIÒ Christus D. N. est nobis SANCTI-
FICATIO, quia est gubernator sanctissimus, &
Sanctus Sanctorum; in quo sunt omnes the-
sauri sanctitatis, n de cuius plenitudine accipiunt
homines, non solum iusticiam, quæ mundat à
culpa, sed etiam sanctitatem; magnum videli-
cet augmentum gratiarum, virtutum, & coe-
lestium donorum, cum magna stabilitate. Et
in hunc finem dirigitur sanctissima eius guber-
natio, continens sanctas leges, consilia, & ex-
empla Sancta: & ideo omnibus dicit, o Sancti
eritis, sicut ego Sanctus sum: & p estote perfecti,
sicut Pater vester coelestis perfectus est. O gu-
bernator sanctissime, esto mihi SANCTIFICA-
TIO, sanctificans me in veritate tuis clarissi-
mis virtutibus: siquidem q tu sanctificasti tei-
sum, vt ego sanctificarer in veritate, & ad
mortem te obtulisti, vt tuis virtutibus me or-
nares.

m Dan. 9.

24.

n Ioan. 1. 16.

o 1. Pet. 1. 16

p Matt. 5. 8.

q Ioan. 17.

19.

I V.

QVARTÒ Christus D. N. factus est nobis
REDEMPPTIO, quia est Gubernator, potens r
nos liberare à seruitute Dæmonis & peccati, à
carne

r Rom. 6. 18.

22.

s Galat. 3. 13.

t Rom. 8. 15.

carne & eius passionibus, & à mundo & eius tyrannide; constituens nos s *in libertate spiritus*, quæ propria est filiorum Dei. eò etiam eius gubernatio dirigitur, quia simul est Redemptor mundi. redimit enim quos gubernat, & gubernat quos redimit vt finem consequantur suæ redemptionis, t *quæ est perfecta adoptio filiorum Dei*, qui sunt liberi ab omni miseria, propter hæreditatem gloriæ. O gubernator amantissime, gratias tibi, eò quòd sis mihi REDEMPTIO, liberans animam meam ab inferno, & spiritum meum à seruitute carnis suæ; carnem verò à miserijs quas patitur: & suo tempore eam etiam liberabis à morte & corruptione. Applica mihi quæso Domine fructum copiosæ redemptionis tuæ, vt per tuam gratiam redemptus, te fruar semper in gloria, Amen.

H A s quatuor Christi D. N. excellentias, eo modo quo sunt positæ, habere debeo semper in mea memoria, dicens illi frequenter & magno affectu: dulcissime IESU, esto mihi *sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio*, applicans mihi efficaciter, quod es pro omnibus sufficienter.

QVOD reliquum est huius beneficii, fusius est positum in Meditationibus secunda, tertia, & quarta partis, præter alia multa, quæ insinuauimus in hac parte, in Meditationibus de bonitate, charitate, & misericordia Dei.

MEDI-